

6. Præterea. Ea quæ prædicantur de Christo secundum quod homo, non prædicantur de ipso secundum quod Filius Dei. Ergo videtur eadem ratione quod ea quæ prædicantur de homine, non prædicentur de Filio Dei.

7. Sed contra. De quocumque prædicatur aliquid, prædicantur de eo omnia consequentia ad ipsum, etiamsi sit prædicatio accidentalis; sicut si homo est albus, sequitur quod sit coloratus. Sed homo prædicatur de Deo. Ergo quidquid prædicatur de homine, prædicatur de Filio Dei.

8. Præterea. Quæcumque consequuntur naturam, prædicantur de suppositis naturæ illius. Sed Filius Dei est suppositum humanæ naturæ. Ergo consequentia naturam humanam possunt prædicari de Filio Dei.

9. Præterea. Christus est persona subsistens in duabus naturis, divina, & humana. Sed omnia quæ conveniunt divinæ naturæ, possunt prædicari de Christo. Ergo pari ratione omnia ea quæ conveniunt naturæ humanæ.

10. Præterea. Nihil magis repugnat divinæ naturæ quam mori. Sed dicitur, quod Filius Dei est mortuus. Ergo & omnia alia possunt dici de Filio Dei quæ conveniunt humanæ naturæ.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod natura, & suppositum naturæ in quibusdam differunt re, & ratione, sicut in compositis; in quibusdam autem ratione, & non re, sicut in divinis. Sed differentia quæ est secundum rationem, est differentia oppositionis: quia natura, & suppositum habent intentiones oppositas; & ideo ea quæ pertinent ad rationem naturæ, nullo modo prædicantur de supposito neque in abstracto, neque in concreto, neque in divinis, neque in humanis; sicut Pater non dicitur commune tribus, nec Petrus dicitur forma totius. Differentia autem quæ est secundum rem, non est oppositionis, sed est sicut principii formalis ad formatum: & ideo quæ secundum rem ad naturam pertinent, possunt prædicari de supposito, sicut natura prædicatur, scilicet in concreto. Quia autem unio facta est in supposito, ut scilicet sit unum & idem suppositum divinæ, & humanæ naturæ; ideo de illo supposito possunt prædicari ea quæ consequuntur secundum rem utramque naturam, sicut & ipsæ naturæ de ipso prædicantur: quia enim divina natura prædicatur de Filio Dei in concreto, & in abstracto, ideo proprietates ejus possunt utroque modo prædicari de ipso; quia vero humana natura prædicatur in concreto tantum, ideo humanæ naturæ proprietates in concreto tantum prædicantur. Nec differt utrum fiat prædicatio de supposito secundum nomen quod significat divinam naturam, ut Verbum; vel humanam, ut Jesus; vel utrumque, sicut Christus: quia per omnia supponitur idem suppositum; sed tamen hoc suppositum non constituitur per naturam humanam, sed humana natura advenit etiam ab æterno præexistenti in alia natura. Unde duo singulariter inveniuntur in compositione humanæ naturæ ad istum suppositum, scilicet quod unitur ei, & quod se habet ad ipsum per modum partis, secundum quod istud suppositum in duabus naturis subsistit: & ideo à prædicta generalitate excluduntur, ea quæ unionem important, & iterum ea quæ nata sunt de se & personæ, & naturæ convenire, quæ non possunt prædicari de supposito, nisi cum additione, sicut ea quæ sunt partis de toto.

Ad primum ergo dicendum, quod proprietates creatæ dicuntur de Filio Dei, non quasi ipsa persona his informetur, sed quia natura assumpta informatur eis; sicut proprietates quibus informantur partes, prædicantur de toto.

Ad secundum dicendum, quod illa ratio concludit, quod proprietates humanæ naturæ non prædicantur in abstracto de Christo, quod & verum est.

Ad tertium dicendum, quod assumi est de illis quæ unionem important: & ideo non oportet quod prædicetur de Filio Dei.

Ad quartum dicendum, quod prædestinatio Christi est respectu unionis: unde prædestinatus includit unionem sicut terminum prædestinationis: & ideo sicut homo unitus dicitur, ita & prædestinatus uniti; non autem Filius Dei. Et præterea prædestinatus includit factionem, ut patet ex prædictis: unde sicut esse factum non dicitur de Filio Dei absolute, ita nec esse prædestinatum.

Ad quintum dicendum, quod sicut humana natura est creatura, & tamen cum prædicetur de Christo in concreto, non sequitur quod Christus sit creatura; ita etiam non sequitur propter hoc quod proprietates naturæ humanæ in concreto de Christo prædicentur, quod Christus sit creatura.

Ad sextum dicendum, quod ad veritatem propositionis sufficit quod prædicatum conveniat subjecto quocumque modo; sed ad hoc quod propositio sit per se, oportet quod conveniat sibi ratione formæ importatæ per subjectum: unde hæc est vera, Deus est passus; non tamen est per se: & quia reduplicatio exigit locutionem per se veram, ideo non est similis ratio de reduplicacionibus, & propositionibus quæ sunt sine reduplicacione.

Ad septimum dicendum, quod aliqua consequuntur humanam naturam, non secundum quod prædicatur de Filio Dei; & illa non oportet quod de Christo prædicentur.

Et ex dictis patet solutio ad consequentia.

EXPOSITIO TEXTUS.

Omnia per ipsum facta sunt. Videtur hoc non esse ad propositum: quia Augustinus intendit de Filio Dei, in quantum est Filius Dei. Et dicendum, quod quia non est in Christo aliud suppositum nisi persona Filii Dei, ideo sicut de Filio Dei dici non potest quod sit creatura, ita nec de Christo.

Nam si creatura esset, sibi mandaret prædicari Evangelium. Videtur quod hoc non sequatur: quia Angeli, & lapides sunt creaturæ, quibus non est Evangelium prædicandum. Dicendum, quod intelligitur de creaturis quæ sunt homines, quibus est prædicandum Evangelium, vel ut emendentur, vel ut perficiantur, vel ut conserventur. Christus autem homo est.

Vanitati subiecta. Intelligitur de illa vanitate secundum quam omnia in nihil tenderent, nisi manu omnipotentis continerentur.

Non unum de multis. Contra Rom. viii. 20. Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et dicendum, quod unus est de multis quantum ad similitudinem filiationis, secundum quod etiam dicitur primogenitus; sed non unum de multis proprietate nativitatibus, secundum quod dicitur unigenitus.

In Deo creatura esse non potest. Contra Rom. xi. 36. In ipso sunt omnia. Dicendum, quod sunt in ipso creaturæ, non per essentiam, sed sicut in cau-

causa per similitudines ideales, quæ secundum quod in Deo sunt, creaturæ non sunt.

Sed ex tropicis locutionibus non est recta argumentationis processio. Cujus ratio est, quia non

sunt simpliciter veræ, sed secundum quid: unde etiam Dionysius dicit in epistola ad Titum, quod symbolica Theologia non est argumentativa.

DISTINCTIO XII.

An homo ille semper fuerit, vel cœperit esse.

Post prædicta queritur, utrum homo ille cœperit esse, vel semper fuerit; sicut simpliciter enuntiatus, Christum, vel Dei Filium, semper fuisse, nec cœpisse. De hoc Augustinus dicit ita super Joann tract. cxi. circa med. „Habit aliquando Dei Filius quod nondum habuit idem ipse homo Filius, quia nondum erat homo. Idem in eodem tract. cv. circa fin. Prius quam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Item super Psalm. lxxxix circa med. „Christus noster, etsi forte homo recens est, tamen est æternus Deus. Alibi vero legitur quod puer ille creavit stellas; & Christus dicit, Joan. viii. se esse principium, & esse ante Abraham. „His ergo auctoritatibus in nullo resultantes dicimus, hominem illum, in quantum homo est, esse cœpisse, & in quantum Verbum est, semper fuisse. Hic enim absque distinctione non est ferenda responsio. Nam ipse Augustinus hujusmodi vitium distinctione in pluribus locis, dicens, per Christum omnia esse facta in quantum est Verbum; secundum id vero quod homo est, ipsum esse factum, & glorificatum. Si igitur ad personam respicis, confidenter dic hominem illum semper fuisse; si vero ad naturam hominis, concede eum cœpisse.

Si Deus alium hominem assumere potuerit, vel aliunde quam de genere Adæ.

Solet etiam queri, utrum alium hominem, vel aliunde hominem quam de genere illius Adæ, Deus assumere potuerit. Ad quod sane dici potest, ipsum & aliam animam, & aliam carnem potuisse assumere: quia gratia tantum assumpta est anima illa, & caro à Verbo Dei. Ut ait Augustinus Lib. XIII. de Trin. cap. xix. in rebus per tempus ortis illa (1) summa est gratia qua homo in unitate personæ conjungitur Deo. Potuit igitur Deus aliam animam, & aliam carnem assumere; & carnem utique aliunde quam de genere Adæ. Unde Augustinus in Lib. IV. de Trin. cap. xviii. „Poterat utique Deus hominem alium, de suscipere, in quo esset mediator Dei, & hominum, non de genere illius Adæ qui peccato suo genus obligavit humanum; sicut ipsum quem primo creavit, non de genere alicujus creavit. Poterat ergo, vel sic, vel alio quo vellet modo creare unum hominem, de quo vinceretur victor prioris; sed melius judicavit (2) ut de ipso quod victum fuerat genere, assumeret hominem, per quem hominis vinceret inimicum; & tamen ex virgine, cujus conceptum spiritus, non caro, fides, non libido prevenit; nec interivit carnis concupiscentia, qua ceteri concipiuntur, qui originale trahunt peccatum; sed credendo, non concumbendo sancta est fecundata virginitatis. „Ex his aperte ostenditur & alium, & aliunde hominem Deum assumere potuisse.

Si homo ille potuit peccare, vel non esse Deus.

Ideo non immerito queritur, utrum homo ille potuerit peccare, vel non esse Deus. Si enim potuit peccare, potuit, & damnari. Si potuit damnari, potuit non esse Deus. Ergo si potuit peccare, potuit non esse Deus; quia esse Deum, & posse, (3) aut velle iniquitatem, simul esse nequeunt. Hic distinctione opus est, utrum de persona, an de natura agatur. Si enim de persona agitur, manifestum est quia peccare non potuit, nec Deus non esse potuit. Si vero de natura, discutiendum est, utrum agatur de ea ut Verbo unita, an de ea tamquam non unita Verbo, & tamen ente; idest, an de ea secundum quod fuit unita Verbo, an de ea secundum quod esse potuit, & non unita Verbo. Non est enim ambiguum, animam illam entem unitam Verbo, peccare non posse; & est sine ambiguo verum, eandem, (4) si esset, & non esset unita Verbo, posse peccare.

Quorundam oppositio, quod potuit etiam unita Deo peccare.

Quidam tamen probare conantur, eam etiam unitam Verbo posse peccare: quia liberum arbitrium habebat, & ita potest flecti in utramque partem. Quod frivolum est, cum & Angeli liberum arbitrium habeant, & tamen in gratia à Deo sunt confirmati, ut peccare nequeant: quanto magis ergo ille homo, cui Spiritus Sanctus est datus sine mensura? Inducunt quoque auctoritatem ad probandum idem scriptum est in Lib. Sapientie (Eccli. xxxi. 10.) „Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit. Sed hoc accipiendum est secundum membra, vel partem de capite, partim de membris: de capite: Non est transgressus, & non fecit malum; de membris. „Potuit transgredi, & facere malum.

In III. Sent. Tom. III. R. Si homo ille potuit peccare, vel non esse Deus. Si (1) Al. sumpta. (2) Al. & de ipso quod victum fuerat, genere assumere hominem. (3) Al. & velle. Nicolai forte legendum censet & posse velle. (4) Al. & si esset non unita.

Si Deus potuit assumere hominem in sexu muliebri.

Solet etiam quæri, quamvis curiose, à nonnullis, si Deus humanam naturam potuit assumere secundum muliebrem sexum. Quidam arbitrantur eum potuisse assumere hominem in fœmineo sexu, ut assumptus in virili; sed opportunius, atque convenientius factum est ut de fœmina nasceretur, & virum assumeret; ut ita utriusque sexus liberatio ostenderetur. Unde Augustinus in Lib. LXXXIII. Quæstionum (quæst. XI.) „Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, quod sexus honorabilior est, consequens erat ut fœminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de fœmina natus est. Sapientia ergo Dei, quæ dicitur unigenitus Filius, homine suscepto in utero, & de utero virginis, liberationem hominis indicavit.“

DIVISIO TEXTUS.

ARTICULUS I.

Postquam ostendit Magister quod nomen creaturæ non predicatur de Christo simpliciter, sed cum determinatione, hic inquit de defectibus qui consequuntur naturam humanam, secundum quod creatura est: & dividitur in duas partes. Primo inquit de defectu qui communiter consequitur omnem creaturam, scilicet incipere esse; secundo de defectibus qui consequuntur specialiter humanam naturam, ibi: Solet etiam quæri, utrum alium hominem, vel aliunde hominem quam de genere illius Adæ, Deus assumere potuerit. Circa primum tria facit. Primo movet quæstionem; secundo objicit ad utramque partem, ibi: De hoc Augustinus inquit ita; tertio determinat eam, ibi: His autem auctoritatibus in nullo resultantibus, dicimus; hominem illum, in quantum homo est, esse cepisse. Solet etiam quæri, utrum alium hominem, Deus assumere potuerit. Hic prosequitur de defectibus qui pertinet ad humanam naturam tantum: & dividitur in duas partes. Primo inquit de defectu culpæ; secundo de defectu naturæ, qui est sexus fœmineus, ibi: Solet etiam quæri, quamvis curiose, à nonnullis, si Deus humanam naturam potuit assumere secundum muliebrem sexum. Circa primum duo facit. Primo quærit de defectu culpæ quantum ad originem, scilicet, utrum aliunde quam de peccatoribus carnem, assumere potuissent. Secundo de defectu culpæ quantum ad actum, utrum scilicet peccare potuissent, ibi: Ideo non immerito quæritur, utrum homo ille potuerit peccare. Et circa hoc tria facit. Primo movet quæstionem; secundo determinat, ibi: Hic distinctione opus est; tertio objicit contra determinationem, ibi: Quidam tamen probare conantur eam, etiam unitam Verbo, posse peccare. Et primo objicit per rationem; secundo per auctoritatem, ibi: Inducunt quoque auctoritatem ad probandum idem: & utrumque solvit, ut patet in littera. Solet etiam quæri, quamvis curiose, à nonnullis, si Deus humanam naturam potuit assumere secundum muliebrem sexum. Hic inquit de defectu naturæ, qui est sexus fœmineus: & primo movet quæstionem; secundo solvit, ibi: Quidam arbitrantur eum potuisse assumere hominem in fœmineo sexu.

QUÆSTIO I.

Hic quærantur tria. Primo de conceptione. Secundo de potentia peccandi. Tertio de congruitate assumptionis respectu sexus fœminei. De congruitate tamen assumptionis respectu generis Adæ, dist. 11. (quæst. 1. art. 2.) dictum est. Circa primum quærantur duo. Primo. Utrum iste homo, demonstrato Christo, incepit esse. Secundo. Utrum incepit esse Deus.

Utrum hæc sit vera, Iste homo incepit esse.

III. P. quæst. XVI. art. 9.

AD primum sic proceditur. Videtur quod hæc sit vera, Iste homo incepit esse. Omne enim quod non semper fuit, & est, incepit esse. Sed, sicut dicit Augustinus in littera, mediator Dei & hominum, homo Christus, non fuit priusquam mundus esset. Ergo incepit esse. Præterea. Iste demonstrat suppositum utriusque naturæ, divinæ scilicet, & humanæ. Sed ratione divinæ naturæ potest dici: Iste homo semper fuit. Ergo cum incipere conveniat humanæ naturæ, sicut etiam esse ab æterno divinæ; ratione humanæ naturæ potest dici: Iste homo incepit esse.

Præterea. Antequam mandus fieret, erat verum dicere: Nullus homo est. Ergo hæc erat falsa. Aliquis homo est, vel iste homo est. Nunc autem est vera. Ergo iste homo cepit esse.

Præterea. Quod incepit esse in aliqua specie, incepit esse simpliciter. Sed iste homo incepit esse in specie humana. Ergo incepit esse simpliciter.

Præterea. Nasci temporaliter, est mutari de non esse in esse. Sed iste homo est natus in tempore. Ergo est mutatus de non esse in esse. Sed omne tale incepit esse. Ergo iste homo incepit esse.

Præterea. Iste homo supponit personam compositam. Sed persona composita non fuit ab æterno: quia quando non est compositio, non potest esse aliquid compositum. Ergo iste homo non fuit semper: ergo incepit esse.

Sed contra. Nullum æternum incepit esse. Sed iste homo supponit suppositum æternum. Ergo non incepit esse.

Præterea. Omne quod incepit esse, est creatura. Sed iste homo non est creatura, ut dictum est supra (dist. XI. art. 3.) Ergo iste homo non incepit esse.

Præterea. Joan. VIII. 58. dicitur ille homo de quo loquimur: Antequam Abraham fieret, ego sum: & simili ratione potuisset vere dicere: Antequam mundus fieret, ego sum. Sed nullum tale incepit esse. Ergo iste homo non incepit esse.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quidam distinguunt istam, Iste homo incepit esse, ex hoc quod pronomen iste potest demonstrare personam Verbi, vel singulare hominis: & primo modo est falsa, secundo modo est vera. Sed cum dicitur, iste homo, hoc pronomen iste non potest demonstrare nisi id quod supponitur per hoc nomen homo. Suppositum autem per hoc nomen homo non est aliud quam persona Ver-

Verbi secundum secundam opinionem: unde secundum eam non potest stare: quia quamvis ponat in Christo esse aliquid singulare præter personam Verbi, scilicet humanam naturam; tamen illud singulare non supponitur per hoc nomen homo, nec predicatur de Christo, sicut vi. dist. quæst. 1. art. 1. dictum est: & ideo patet quod ista distinctio est secundum primam opinionem bona. Et ideo hac ommissa, quidam dicunt, quod hoc verbum incepit potest notare in ceptionem respectu suppositi simpliciter; & sic est falsa, quia suppositum illud est æternum: vel respectu suppositi ratione formæ significatæ; & sic est vera: & ponunt exemplum de hac: Scutum album incepit esse hodie, supposito quod scutum ab heri factum, hodie dealbetur. Sed hoc dictum non videtur habere efficaciam propter duo. Primo quia etsi humana natura habeat aliquid simile accidenti in Christo, tamen hoc nomen homo non est adjectivum, sed substantivum, etiamsi natura humana esset pure accidentaliter adveniens; & in talibus plus facit modus significandi quam proprietates rei significatæ. Secundo quia dato quod esset adjectivum, oportet quod predicatum conveniret ei quod copulatur, vel supponitur per nomen positum in subiecto, vel ratione sui, vel ratione alicujus quod in eo est. Illa autem prædicata quæ nata sunt ipsi supposito convenire, non predicantur simpliciter de eo ratione alicujus quod in ipso est, neque secundum partem, neque secundum accidens, aut naturam, nisi ei secundum se conveniant: quia tunc sequeretur quod affirmatio, & negatio verificarentur de eodem, si ratione alicujus existentis in ipso verificarentur quod ratione sui de eo vere negatur; & hoc patet in proposito. Et enim quod supponitur cum dicitur: Isti homini, convenit esse semper: (1) unde de eo non potest verificari negatio, ut dicatur: Non fuit semper, simpliciter loquendo; & per consequens nec aliquid quod negationem dictam implicet, sicut verbum incipiendi. Unde dicendum est, quod hæc est simpliciter falsa: Iste homo incepit esse, & est secundum quid vera, scilicet cum determinatione humanæ naturæ; sicut & hæc: Iste homo est creatura, est falsa, nisi ei determinatio addatur, & tunc etiam est tropica, ut supra dixit Magister. Unde hic non intendit eam distinguere tamquam multiplicem, sed dicere quomodo potest esse vera, & falsa.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum regulam à Magistro præcedenti distinctione datam, intelligenda est illa auctoritas cum determinatione, (2) quamvis causa brevitas non apponatur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis illud suppositum sit utriusque naturæ suppositum, tamen quantum ad aliqua se habet aliter ad naturam divinam quam ad humanam: quia est idem re cum divina, & constitutum in esse per ipsam, secundum modum intelligendi: unde quodcumque fuit natura divina, fuit ipsum suppositum. Non autem ita se habet ad naturam humanam: & ideo non oportet quod incipiente humana natura; ipsum incipiat.

Ad tertium dicendum, quod ab æterno verum fuisset dicere: Nullus homo est: quia suppositum æternum nondum erat suppositum humanæ naturæ: unde non poterat sumi sub dicta distributione, sicut nunc potest propter unionem. Unde quamvis ab æterno non erat verum dicere: Aliquis homo est æter-

In III. Sent. Tom. III. (1) Al. deest. unde. (2) Al. etiam quamvis.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut ex serm. lx. de diversis colligi potest ubi ait: Descendit quo inferius non decessit &c.

nus: modo tamen est verum dicere: Aliquis, vel iste homo est ab æterno. Ad quartum dicendum, quod nasci temporaliter ex matre non est natum convenire supposito, nisi ratione corporis, ut supra dictum est: & ideo ratione ejus verificatur simpliciter de supposito. Sed incipere esse non potest verificari de eo ratione corporis simpliciter, sed cum determinatione: & ideo hæc est vera simpliciter: Iste homo est natus temporaliter; non tamen ista: Iste homo incepit esse; sed est vera secundum quid.

Ad quintum dicendum, quod in aliis suppositis quæ sunt supposita tantum unius naturæ, sequitur quod si incipiunt esse in aliqua specie, incipiunt esse simpliciter; sed non est ita in proposito: unde quantum ad hoc similitudinem habet humana natura in Christo cum accidente: & ideo sicut non sequitur: Iste homo incepit esse albus: ergo incepit esse: ita nec sequitur: Iste incepit esse homo, ergo incepit esse.

Ad sextum dicendum, quod quia compositio non semper fuit, ideo hæc est falsa: Persona semper fuit composita; sed tamen hæc est vera: Persona composita semper fuit: quia ad veritatem propositionis sufficit, quod prædicatum conveniat subiecto, nec oportet quod conveniat ei ratione formæ significatæ, vel appositæ, nisi sit prædicatio per se: & ideo quia personæ convenit semper fuisse: quamvis non ratione compositionis, hæc est simpliciter vera: Persona composita semper fuit. Sed ad veritatem propositionis exigitur quod totum quod est in prædicato, conveniat subiecto: & ideo compositio quam significat hoc nomen compositum non convenit ab æterno personæ: & ideo hæc est falsa: Persona ista semper fuit composita.

Ad septimum dicendum, quod idem iudicium est de ista: Homo incepit esse Deus, & homo factus est Deus; & eadem rationes utrobique fieri possunt: & ideo requiratur supra dist. vi. quæst. 11. art. 2. ubi inquisitum est, utrum homo factus sit Deus.

QUÆSTIO II.

Deinde quæritur de potentia peccandi: & circa hoc duo quærantur. Primum. Utrum iste homo potuit peccare. Secundo. Utrum habuit potentiam peccandi.

ARTICULUS I.

Utrum Christus potuit peccare.

III. P. quæst. xv. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod potuit peccare. Bernardus enim dicit, (a) quod tantum descendit Filius Dei, quantum descendere potuit præter peccatum. Sed ultimus gradus circa peccatum est posse peccare. Ergo ipse potuit peccare.

Præterea. Nihil laudis Christo homini subtrahendum est. Sed in laudem viri justi dicitur Ecclii, xxxi. 10. Qui potuit transgredi, & non est transgressus. Ergo hoc Christo convenire debet.

Præterea. Sicut peccatum requirit voluntatem, ita & meritum. Sed secundum Augustinum, I. Lib. Retract. cap. xiv. nullus peccat in eo quod non potest.

R2

(1) Al. deest. unde. (2) Al. etiam quamvis.